

Quo posito, dico ego, tali pacto contra eos posse argumentum retorqueri, qui Suesii systema sustinuerunt.

Judei, qui conversi non sunt visis miraculis, non fuerunt pares Tyrii & Sidonii; quia Tyrii & Sidonii habuerunt Gratias idoneas, congruas, temperatas genio, & delectationi suae voluntatis: Corozaitae vero, & Bethsaida Gratias habuerunt incongruas, non temperatas genio, & delectationi suae voluntatis. Unde reponi posset, eos nequaquam pares in auxiliis fuisse; proindeque a Deo corripi non potuisse, quia excusationem hanc habuissent: si nobis dedisset Deus Gratias, quas sponderat Tyrii & Sidoniis, nos conversi essemus; cum eas tamen non dederit, ideo conversi non sumus. Alio etiam ex capite pares non fuerunt Judaei; quia nempe Tyrii & Sidonii collata fuissent Gratias in debitis circumstantiis, & per hoc Tyrii & Sidonii convertendi erant; ex quo itidem capite, persequens non videt, Judaeos quoque excusationem petendere posse? Videte ergo prima fronte, quam futile ac cassum sit hoc Molinianorum Momentum. Ad propositum itaque Argumentum repono ego: ut quis iuste corripit possit, exemplo alterius, debent quidem esse pares in auxiliis sufficientibus, quae dant posse bene agere; necesse tamen non est, ut in efficacibus pares sint, quae dant re ipsa bonum agere, unde qui habet posse bonum agere, & non agit, corripit potest.

Urgent nihiloscilicet Moliniani contra hoc: ut quis recte corripit possit, debet posse bene agere eo modo, quo obligatur ad bene agendum, atqui obligantur homines non ad posse bene agere, sed ad re ipsa bene agendum: ergo habere debent non tam auxilia sufficientia, quae dant posse, sed etiam efficaciam, ut corripiantur.

At hoc iudicium profus est, ac desperatae causae apertissimum suffragium: nam qui donati sunt Gratias solummodo sufficientibus, etsi non habeant possibilitatem in actu secundo bene agendi, hoc est exercendi actum secundum bonae operationis; nihilominus iuste corripit possunt, quia ea possibilitate carent ex sua pravitate, ex maiori duritie, & propria iniquitate. Plane contigit occasione Tyriorum, & Sidoniorum; Judaei enim magis erant reluctantes voluntati Divinae, quam Tyrii, & Sidonii; ideoque quod Gratia eis data non sit, revocatur in culpam suam, proindeque corripit non immerito poterunt.

Alii etiam ad argumentum reponi posset. Nimirum Deum praevidisse Tyrios poenitentiam acturos, minime vero Judaeos, in eo Decreto, quo iis Gratiam efficacem conferre, iis negare stituerat. At quid inde? Num propterea oburgare istos compasate ad illos iuste non poterat Christus? Minime gentium. Oburgatio siquidem illa indirecte duntaxat, ac veluti ex consequenti ad poenitentiam referenda est; proprie vero, & directe refertur ad contemptum illum Signorum a Christo Domino patrorum, quem Judaei protegere, & per summam injuriam iniquissime exercuerunt; quod Tyrii, & Sidonii, ex se minus protervi, minime praesertissent, etiam absque ullo speciali supernaturalis Gratiae adiutorio; cum naturale sit homini prodigia admirari, illorumque patres, quasi supra hominum conditionem electos, obsequiis prosequi, ac venerari: uti perspicuum fit in Populo Lytrae (Act. 14.) qui viso miraculo claudi sanati, Paulum, & Barnabam Deos appellare cepit, usque Sacrificia parare; quod certe ex Gratia Dei minime peragebat; cum Gratia movere homines nequeat ad actum idololatriae perpetrandum. Vidit itaque Christus Dominus Judaeos poenitentiam minime acturos, in De-

creto, quo conversionis Gratiam negare illis fanciverat; sed oburgavit de obice, quem propria malitia Gratiae ipsi posuerant, quemque Tyrii, & Sidonii, sola natura ducit, cum auxiliis communibus nequaquam possident. Quamobrem proflus inutile est, ad Scientiam Mediam Decreto priorem recurrere, ut Christi Domini oburgationem Judaeis factam ab injustitia nota eximamus.

Eandem nunc probaturi Sententiam ad aliud oraculum confugiunt. Audiamus itaque. Sic illi subtiliter argumentantur: Scientia Media est Scientia futuri Conditionati, maxime futuri consensus humani arbitrii ante decretum. Porro eam praescientiam futuri consensus ante decretum declarat Apostolus in epist. ad Rom. cap. 8. ubi Praedestinationis Mysterium explicandum aggreditur. Quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Ajunt ergo, novisse Deum futurum arbitrii consensus independentem a decreto. Confirmant hoc auctoritate Patrum Graecorum, S. Irenaei, S. Iuliani Martyris, S. Joannis Chrysostomi, qui agentes de vocatione Matthaei, & Pauli declarant, eos vocasse Deum, quando eos praevenerat consensus & credituros; igitur ante decretum quodcumque Matthaeum, & Paulum praescivit Deum, consensus, & credituros.

Non est tamen difficile utrumque fellere. Quod ad primum attinet, nempe decantatum illud Apostoli Oraculum, Doctoris Angelici observationem asserere sat est: nimirum Apostolum ea loquendi formula non designasse duos actus divinos, quorum unus sit praesentia, alter praedestinatio; sed duo munera ejusdem simplicissimi actus, qui quidem actus & praescit & praedestinavit; & pro ut refertur ad notitiam, dicitur praesentia; & pro ut refertur ad decretum, praedestinatio appellatur.

Quod vero attinet ad Graecorum Patrum auctoritatem, maxime D. Joannis Chrysostomi, respondeo, Deum vocasse Matthaeum, & Paulum, quando praevenerat consensus, & credituros, non jam notitia mere speculativa; sed eos vocasse, quando noverat notitia practica consensus, & credituros, notitia videlicet praedestinatrice.

Plura addere hucusque dictis facile fuerit; sed cum aliis in locis hoc idem argumenti genus pertractavimus, & sumus adhuc pertractaturi, praesertim vero in tractationibus de Divina Gratia, & de Praedestinatione gratuita Sanctorum, ideo satis esse impraesentiarum ducimus. In sequenti vero de Divinis Ideis aliqua praelibabimus.

#### PRÆLECTIO VII.

*Divina Idea quid sint; & num in Deo admittenda, & quo pacto, explicatur, asseritur; tandem Platonis error refellitur.*

**H**abita de Divina Scientia Theologica disputatione, postremam manum imponere necessum est Traditioni de Divinis Ideis; nam sicuti Scientia Dei causa est effectiva rerum; Idea Divina est veluti exemplar, ex quo Deus ad extra operatur. Idea igitur nihil aliud dicitur esse, quam forma, seu imago intellectui objecta intra ipsum existens, ad quam respiciens Artifex operatur: sic V. G. Idea Pictoris illa est, ad quam respiciens Pictor, in tela pingit effigiem. Ita Divina Idea forma illa est, juxta quam Deus omnia operatur ad extra; & nihil est aliud, quam divina essentia, quatenus est imitabilis a creaturis. Hac tamen in parte Platonis error seponendus est, qui primus omnium has ideas induxit, sed pravo & erroneo sensu. Fixit hic Ideas in Deo veluti extra intellectum existentes, & per se subsistentes; quinimo ultra progrediebatur, dicendo, Ideas Di-

vinas

vinas a mente Dei effluxisse in mentem Angelicam, ex Angelica in animam universalem Mundi, ex anima universali Mundi in formas Caelorum; & ex hoc obortus fuit error, caelestia corpora esse animata. Qui adeo ineptus ipsimet Gentilibus visus fuit, ut cum eas Aristoteles perpenderit, dixerit: *Valent Platonis Ideas, quia nihil sunt, aut monstra sunt.* Hic igitur quaerendum accedit, num ideae istae, Christiano tamen modo acceptae, ad quarum exemplar Deus considerit Universum, in Deo admittendae sint. D. Thomas 1. part. quest. 16. art. 1. ait: ideas necessario ponendas esse in mente Divina, quinimo ex ipsis Fidei principiiis comperimus Ideas esse admittendas. Unde hoc habemus? ex duplici Scripturae Oraculo: ex epistola ad Hebraeos cap. 11. *Fide intelligimus, apta esse secula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent:* hoc est erant in Deo invisibilia. Joann. cap. 1. *Evangelii ubi de creatione Mundi loquens: quod factum est, inquit, in ipso vita erat, nempe ex aeternitate vita erat; Quomodo ergo erat? Repraesentative; quatenus essentia Divina repraesentabat Divinae suae menti omnia futura; & certe Patres omnes Ideas illas tamquam summa Fidei capita in Deo noverunt. Has declaravit inter alios Boetius lib. 3. de Consolatione metro 9. his verbis.*

*Tu cuncta supero*

*Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimum ipse Mundum mente gerens, similique imagine formans, Perspectaque iubens perfectum absolovere partes.*

Quibus etiam duplex ratio addi potest ex Angelico Doctore desumpta. Primo: qualibet causa intellectualis debet praeterire effectum spiritualiter; sed Deus est causa intellectualis; ergo debet spiritualiter effectum praeterire; nec alio modo potest, quam quod ideis, eo Christiano modo acceptis, creaturas repraesentantibus. Secunda ratio haec est: nisi ponerentur in Deo ideae illae repraesentantes creaturas, Deus veluti caeco modo Mundum condidisset, quemadmodum Pictor, imprudenter pinxisset, si nullam prius sibi imaginem efformasset.

Sunt nonnulli, qui Patres aliquos nobis advertentes in medium proferunt; D. Anselmum in monologio cap. 29. D. Dionysium Areopagitam lib. de Divinis nominibus cap. 7. Ajunt enim, Diony-

sum Areopagitam aperte negare, Deum cognoscere per ideas; Anselmum vero, similitudines rerum conditarum in Deo non reperire. At futilis objectio est. Dionysius enim eo in capite probat quidem, Deum non cognoscere per Ideas, sed per Ideas, quae ab iis diversae sint, quas nos exposuimus; nimirum per Ideas Platonicas. Neque ex eo sequitur, superfluum in mente Dei, quia omnia per Scientiam producit; licet enim Scientia principium sit rerum effectivum; Ideae sunt principium formale. Nec reponere juvat; si darentur in Deo haec Ideas; in Deo esset aliquid aeternum praeter Deum; nam Ideas istae sunt ipsa essentia Divina, concepta ut imitabilis a creaturis.

Quibus itaque positis varia Theologi quaerere solent; an istae Ideas multiplicentur, an vero una sit? Quare huic tali pacto respondeo. Si idea sumatur fundamentaliter, una est; cum eadem essentia sit; si vero formaliter; multiplicatur: nam hinc diversa est illa imitabilitas, quae multiplicatur; cum varie imitetur Angelus, varie imitetur homo, varie Brutum, varie arbor, & sic de reliquis.

Quaerere & alii solent, quarum rerum in Deo datur ideae? Responso in promptu est, datur in Deo Idea rerum omnium creaturarum; quia res omnes eo ipso, quod creatae sunt, varie imitantur, varie participant; quinimo datur etiam de possibilibus; quia Deus dum novit res esse possibiles, novit etiam varie posse imitari essentiam suam.

Quaerunt & alii; an in mente Patris aeterni detur Idea Filii & Spiritus Sancti? Difficultatem hanc tamquam futiliter irridet D. Thomas; nam de iis rebus solum in Deo datur Idea, quae varie participant; porro Filius, & Spiritus Sanctus non vario modo participant a Patre aeterno; igitur concludendum, in mente aeterni Patris dari non posse Ideam Filii, & Spiritus Sancti. Accedit etiam; quod Idea est repraesentatio rerum, quae a Deo fiunt ad extra. Porro Pater aeternus non producit ad extra Filium, & Spiritum Sanctum; ergo nec ideam habere potest aeternus Pater Filii, & Spiritus Sancti. En igitur quam paucis Tractationem hanc non omnimode insulatam reliquimus. Atque hic finis esto instituta de Divina Scientia Academicae Disputationis. Nunc de voluntate Dei superest disputandum.

## DISPUTATIO TERTIA.

### De Voluntate Dei.

#### PRÆLECTIO I.

*Objectum motivum Dei aliud non esse, quam Deum, ut summe bonum, ostenditur.*

**A**bsoluta de Scientia Dei Theologica Traditione ad alteram de Voluntate Dei vocem, & animum convertamus; qua in re methodum Sententiarum Magistri servabimus, qui Tractatui de Scientia Dei hunc de Divina Voluntate subnequit. In hac itaque obeunda provincia otiosi disputatoris fore censuerim, si in praedicta li quaestione agitata diutius immorarer; nimirum num in Deo voluntas sit? cum hoc nemo, quod sciam, inficiari ausus sit; nam omnes ferme Sacrarum Scripturarum paginae de ea loquuntur;

divinamque voluntatem probat ipsa constitutio naturae; nullus est enim, aut esse potest, qui Deum intelligentem noverit, quem etiam & volentem non comprehenderit.

Ab hac vero ad alteram quaestionem progrediamur, de qua solent disceptare Theologi; nempe quidnam sit objectum Divinae voluntatis? Quod ut expediamus, notare juvat, Philosophos atque Theologos duplex objectum distinguere. Unum, quod *Motivum* vocant: Alterum, quod *Terminativum* appellant. Primum illud est, ad quod fertur potentia; Secundum est illud, quod proprie movet potentiam ad ipsius objecti consequentiam. Ad cujus resolutionem ita concludo: Objectum motivum Dei aliud non esse, quam Deum, ut summe bonum, cum non moveatur nisi a seipso; hoc



hoc patet ex eo, quod legimus *proverb. 16. Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; ut intelligamus, motum non eſſe Deum, niſi a ſua bonitate; & certe finis Dei nequit eſſe alius, quam Deus ipſe; nam ſi Deus ipſe non eſſet, Deus ab alio penderet. Patet hoc totum ex amore creaturarum. Deus in amandis creaturis non afficitur, ſed Deus potius afficit, ejuſque voluntas non eſt affectiva, ſed operativa, ut ait D. Bernardus *de amore Divino cap. 4.* his verbis: *non enim afficitur ad nos, vel a nobis, cum nos amas . . . nos autem a te, ad te, & in te afficimur, cum te amamus.* Si ergo amor Dei eſt operativus, ſequitur motivum alium non eſſe, quam Deum ipſum.

His omnibus addiderim, quod de Schola ſumptum videtur; Objectum motivum eſt ſpecificativum cujuſcumque potentia; repugnat porro, Deum ſpeciem aliquam ſumere a rebus a ſe creatis. Neque ex hoc ſequitur, quod imprudenter aliqui colligebant: ſi Deus haberet pro objecto motivo ſemetipſum, amor Dei non foret ſimplicis benevolentia, ſed foret amor concupiſcentia; unde ajunt iſti; Amor Dei non eſt amor concupiſcentia; ſed amor eſt amicitia; unde homines, qui amantur a Deo, amici Dei dicuntur. At hæc conſequentia oritur ex eo, quod non ſatis intelligant, quid amor concupiſcentia ſit. Cum enim hic ille idem ſit, quo quis amat, ut ex eo amore aliquid oblectamenti redundet, ideo ſtat, quod cum Deus non cenſetur diligere, quaſi quod ex ea dilectione ei oblectamentum redundet, per hoc nequit amor ille concupiſcentia appellari.

Sunt qui nihilofecius opponunt; Meretur homo apud Deum, Fidei dogma eſt; mereri enim propter opera bona definitum eſt contra Luteranos & Calvinistas; porro dum vir meretur apud Deum propter opera bona, bonitas illorum operum movet bonitatem Dei ad conferendam Gratiam, Deus ergo non eſt motivum ſui ipſius. Repono tamen ego: quod ea opera bona Deum moveant ad conferendam Gratiam, diſtinguendum eſt nobis. Movent quidem Deum quatenus ab ipſo accepta ſunt, non vero per ſeſe absolute ſpectata; unde ratione ſua acceptationis homo promeretur, non ex vi operum ſuorum.

Fuit qui difficultatem movit gravioſam ex D. Auguſtino *de ſumptis lib. 11. de Civit. Dei cap. 21.* ubi exponens ea *Genefeos verba cap. 1. Deus dixit fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quia bona eſt*: ait Auguſtinus, *Si ergo quaerimus quis fecerit? Deus eſt. Si per quid fecerit? Dixit fiat, & facta eſt. Si quare fecerit? quia bona eſt.* Bonitas ergo lucis eſt objectum motivum Dei. D. Thomas ea Auguſtini verba perpendens, maxime illa *quia lux bona eſt; ly quia* Doctor Angelicus ea in occasione obſervavit, non notare cauſam motivam; ſed conditionem tantum, ſine qua Deus creare non poteſt. Nam cum aliquid mali create nequeat, & creare nequeat niſi bonum, addit, *ly quia* denotare rationem a poſteriori, non vero a priori. Probato jam, ac bono in lumine poſito objecto motivo Divinae Voluntatis, altera ſe nobis offert quaſtio examinanda: num Deus amet ſemetipſum neceſſario, an libere? que de re in ſequenti dicemus.

## PRÆLECTIO II.

*Num Deus amet ſeipſum neceſſario, an libere?*

Quæ mihi hodierna Prælectio venit difficultas expedienda, tota in ſui reſolutione pendet ex terminorum intelligentia. Dum quaerimus enim an Deus amet ſemetipſum neceſſario,

an libere? tota hæc quaſtio pendet in *ly neceſſario, & libere.* Unde exponere juvat, quid per eas voces Theologi intelligant. Amorem itaque neceſſarium duplicem diſtinguunt Theologi; Unum neceſſarium quantum ad ſpecificationem, ut Scholæ barbarie loquitur; quantum ad exercitium alterum. Primum eſt, quo quis ita objectum aliquid amat, ut illud odio habere non poſſit, licet actum amoris ſuſpendere poſſit. Secundum illud eſt, quo quis ita amat objectum aliquid, ut non tantum non poſſit habere odio, ſed nec ſuſpendere actum amoris, eo modo, quo beati dicuntur amare quo ad exercitium, quia non tam non odiſſe; ſed nec ſuſpendere actum fui amoris poſſunt. Similiter liberum amorem duplicem diſtinguunt; Alter a neceſſitate, alter a coactione. Primus eſt ille, qui eſt a principio intrinſeco, & a potentia electiva. Secundus eſt ille, qui ſit a principio aliquo externo commovente, & conferente vim paſſo. Ad cujuſ reſolutionem, indubitatum eſt; Deum amare ſe ipſum utraque neceſſitate, & quo ad ſpecificationem, & quo ad exercitium. Quoad ſpecificationem patet, nam illud dicitur ſe neceſſario, neceſſitate quo ad ſpecificationem, amari, quod odio haberi nequit; porro Deus, ita ſe amat, ut ſe odiſſe nequaquam poſſit; quia Deus in ſemetipſo nequit depræhendere aliquam rationem mali. Quoad exercitium vero, ſe neceſſario amare Deum, patet ex triplici capite. Primo ex proceſſione Spiritus S. Spiritus S. enim procedit neceſſario a Deo; nam ſi Deus deſineret ſpirare Spiritum S. nec Deus eſſet Deus, nec Spiritus S. eſſet Deus; porro proceſſio Spiritus S. eſt ex amore. Conſtat igitur Deum ſe amare quo ad exercitium. Erit fortatte, qui dicat, D. Thomam *de Potentia quaſt. 10. art. 2. ad 5.* afferere proceſſionem Spiritus S. eſſe liberam. Repono ego, D. Thomam eo in loco de libertate non a coactione loquutum fuiſſe, ſed de libertate, quæ ſit a neceſſitate; quia Pater nullo cogente ſpirat Spiritum S.

Altera probatio eſt: quod Deus neceſſario, & eſſentialiter eſt beatus, & ſi Deus non eſſet beatus, Deus non eſſet Deus, cum eſſentia Dei maxime congruat beatitudo; Porro ad beatitudinem neceſſarius eſt amor ſupremæ bonitatis. Hoc totum Beatorum exemplo poteſt confirmari: Beati enim amant Deum neceſſario quoad exercitium, ita ut actus amoris ſui nec temperari, nec ſuſpendi poſſit; Multo minus igitur Deus, qui multo magis beatus eſt.

Altera accedit probatio. Quod nempe Deo eſt arroganda omnis perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ reperitur in creaturis; ſed in creaturis intelligentibus reperitur amor neceſſarius ſupremæ bonitatis; ergo & in Deo amor hic neceſſarius erit reponendus.

Opponet nobis quiſquam, falſum eſſe, quod vulgo jaſtatur, nempe amorem ſummæ bonitatis eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem; nam, inquiet ille, amor liber perfectior eſt amore neceſſario, quia actus, qui cum Dominio exercetur, eo perfectior eſt, qui ſine dominio exercetur. Sed dum dicitur, amor ille eſt perfectior neceſſario, intelligendum eſt de illo amore, qui fertur circa bonum finitum, & limitatum; ſecus vero de illo, qui fertur circa bonum infinitum & illimitatum, & in quo nulla reperitur ratio mali.

Urgent nihilominus alii, Theologicum illud axioma afferentes; quidquid eſt a voluntate, liberum eſt; ſed Spiritus S. eſt a voluntate; ergo in ſe liber eſt. Erroneum hoc, & abſurdum eſt dicere: Id liberum eſt, quod eſt a voluntate, ut voluntas potentia indiſſerens eſt, non ut natura eſt;

eſt; amor vero Dei a voluntate eſt, ut natura eſt, non ut potentia indiſſerens eſt. Nihil eſt ergo, quod ex eo axioma ab iis extundi poſſit.

Futilis etiam eſt altera quorundam objectio dicens, quod ſi Deus non amaret ſeſe amore libero, Deus non mereretur. Concedo & ego mereri non poſſe Deum; nam cum meritum juſtæ fit ad præmium, quale Deo præmium competere poteſt? a quo acquireret? quin imo Deum non mereri, orthodoxa veritas eſt. Nec refert, quod dicant: Meritum quædam perfectio eſt; quare igitur in Deo non admittenda? Meritum eſt quidem perfectio apud nos, non vero apud Deum; dein meritum eſt perfectio ſecundum quid, quia in ſuo conceptu imperfectionem involvit, quatenus ille, qui meretur, cenſetur ei ſubjectus, apud quem meretur. Cum igitur Deus nemini ſubjectus ſit, apud quem poſſit promereri, ſequitur concludendum, meritum in Deo dari nequaquam poſſe.

Supereſt alia longe gravior difficultas eliquanda, de Amore nempe, quo Deus creaturas ſuas proſequitur. Quæ tamen, ut uberem dicendi materiam præbet, in ſequenti diſtincta ac peculiari Diſſertatione in ſequenti prætractabitur.

## PRÆLECTIO III.

*Quo Amore Deus creaturas ſuas proſequatur, & ſeſe.*

DE Amore, quo Deus creaturas ſuas proſequitur pro modulo Noſtro diſputaturi, ea reminifci neceſſe eſt nobis, qui de iſdem creaturis in antehabitis dicebamus, occasione Divinae Scientia; hoc eſt creaturas omnes varii ordinis eſſe. Aliæ nempe præterita ſunt, aliæ præſentes, aliæ futura, aliæ mere poſſibiles; de quibus omnibus moveri quaſtio poteſt, an omnes amet Deus?

Quod igitur ſpectat ad creaturas exiſtentes, præteritas, & futuras, hæc Deum amare indubitatum eſt, cum hoc non tam Scriptura, quam Theologica ratione compertum ſit: *diligis enim omnia que ſunt* (ita *lib. Sapient. cap. 11.* habetur) *& nihil odiſti eorum, que facti ſunt*: quod etiam ratio ſuadet. Amare enim eſt alicui bonum velle; Deus porro his omnibus bonum vult; nec dubium igitur, quod Deus creaturas omnes exiſtentes, præteritas, & futuras amet. Num vero Deus amet creaturas futuras pro eo ſigno rationis, quo adhuc futurae ſunt, oritur difficultas. Nam quis fortatte dicet; Deus dicitur amare creaturas, quatenus iis bonum vult, bonum nempe exiſtentia; hoc eſt communicat eis eſſe ſuum; At quoto tempore creaturæ futurae ſunt, non communicat eis Deus nec eſſe, nec bonitatem; ergo non amat Deus creaturas futuras pro eo ſigno rationis, quo adhuc futurae ſunt. En quod vulgo in oppoſitum jaſtari poteſt; ſed commoda adeſt reſponſio. Dum dicitur Deus eatenus amat, quatenus ſuum eſſe communicat, dicitur amare amore externo, & efficiente; non vero interno & decernente; & hoc amore amat creaturas exiſtentes: antequam autem res procedat, interno eos amore proſequitur, quia ex æternitate decrevit bonum eis communicare. At amor ille, qui a nobis pro creaturis futuris poſitus eſt, liber, & non neceſſarius eſt, quia in creaturis non datur, niſi bonum limitatum, proindeque liberum amorem exigunt.

Erit ſtatim, qui dicat: Bonitas Divina finis eſt omnium creaturarum; Bonitas autem Divina amatur neceſſario: ſed eo modo, quo amatur finis, amantur & media, quæ ad finem directa

Serry Tom. IV.

ſunt; ergo & futurae omnes creaturæ pro eo ſigno rationis, quo futurae ſunt, neceſſario amantur a Deo.

At hæc mera æquivocatio eſt. Eo modo, quo amatur finis, amantur & media, ſi finis dependeat a medio; at creaturæ, cum ſint quædam media, a quibus finis minime dependet, confeſſus eſt, quod licet Divina Bonitas, quæ finis eſt omnium creaturarum, neceſſario amore diligatur; creaturæ tamen, quantumvis media, hoc amore non diliguntur. In his tamen omnibus, ut verum fatear, nulla difficultas eſt; ſed in hoc ſita eſt, num amet Deus creaturas poſſibiles? hoc eſt, de quo litigant invicem inter ſe Theologi. Nos itaque hæc in re tali pacto ſtatimus; Deum neque amare creaturas poſſibiles, neque amare poſſe. Amare enim eſt alicui bonum velle, ſed poſſibilibus creaturis nil boni vult Deus; nam primum bonum eſt eſſe; Deus autem poſſibilibus rebus non vult exiſtentiam; quinimo dicuntur poſſibiles per hoc, quod Deus ipſas non ſit producturus.

Inquiet quis, Deus amat Omnipotentiam ſuam; ergo amat neceſſario res poſſibiles; nam qui amat aliquid, ex conſequenti illud etiam amat, quod adeo cum illo connexum eſt, ut ſine illo, res hæberi nequaquam poſſit: Porro res poſſibiles ita ſunt connexæ cum Omnipotentia, quod ſi non eſſent poſſibiles, Deus non eſſet Omnipotens. At inquit ego. Principium hoc, quod fingit iſte, verum non eſt. Nam quando quis aliquid amat, amat & id, quod cum eo connexum eſt, quando illud in ſe capax amoris ſit, ſecus ſi incapax. Habemus exemplum. Deus amat poenitentiam, poenitentia intime connexa eſt cum peccato, & tamen amando poenitentiam non amat peccatum: ita Deus amat vindicem juſtitiæ ſuam, connexa eſt hæc cum culpa; & tamen amando juſtitiæ ſuam, non amat culpam. Amat itidem Deus Incarnationem; Incarnationem non ſuit, nec fuiſſet, niſi & fuiſſet Adæ peccatum; & tamen amando Incarnationem, non amat Adami peccatum. Unde patet, principium illud non eſſe univerſaliter verum; quod ſi aliquando verum ſit, eo ſolum in caſu eſt intelligendum, quo capax amoris ſit id, quod eſt connexum cum eo, quod amatur. Poſſet etiam aliter reſponderi: qui amat aliquid, amat & id, quod cum eo a priori, non vero a poſteriori connexum eſt; Poſſibilia porro connexa ſunt cum Omnipotentia conſequentia a poſteriori; cum poſſibilia non ſint cauſa Omnipotentia, ſed effectus.

Alterum eſt, quod videtur ſolutu graviffimum. Deus vult omnes homines ſalvos facere, & etiam reprobos; ſi velit ergo & reprobos, amat etiam eorum ſalutem; At ſalus reproborum non eſt niſi poſſibilis; non enim futura eſt; concludendum eſt igitur, amare Deum res etiam poſſibiles. Ego tamen nec ſtolti facio hujufce propoſita difficultatis vim. Do ultro citroque, velle Deum reproborum ſalutem, & eam amore proſequi; at quod addunt, ſalutem reproborum eſſe tantum poſſibilem, conſtanter nego. Futura eſt, non quidem absolute, ſed inchoate. Quo pacto? Eo ipſo quod Chriſtus Sanguinem fudit pro ſalute reproborum, ſalus hæc habet quoddam veluti initium futuritionis in voluntate Dei.

Alia longe multa addere poſſem: ſed dum agemus de Voluntate antecedente & conſequenti, quantum Theologi officium poſtulat ea de re diſſeremus; quod Deo volente in ſequenti præſtabimus.

G g

PRÆ-



## PRÆLECTIO IV.

Quid nomine Voluntas antecedentis, & consequentis intelligendum sit, explicatur; & num in Deo Voluntas antecedens sit vere, proprie, & formaliter queritur.

**H**odie in profundum disputationis impingimus, dum de antecedente & consequente Dei voluntate aggredimur disceptandum; cum multi, qui hac nostra ætate floruerunt, ex hac maxime noticia a vera Religione desciverint. Quare necessum est, ne forte in eas tenebras incidamus, ut studium omne in hujusce Voluntas antecedentis & consequentis elucidatione, impendamus.

Distinctionem itaque Voluntas in antecedentem, & consequentem protulit primus omnium Joannes Damascenus lib. 2. de Fide orthodoxa cap. 2. ex Damasceno postea in Magistrum Sententiarum derivata est; subinde ad D. Thomam; & ab hoc in omnes ferme Theologos subsecuta fuit. Quid nomine Voluntas antecedentis & consequentis intelligi debeat, non consentiunt Moliniani. Eam enim antecedentem appellant, quam habet Deus de salute hominum, nondum spectata hominis voluntate; eam consequentem vocant, quam Deus habet, aliquorum spectata voluntate. Alii vero non dant eandem nobis ideam, nam eam antecedentem nominant, qua Deus vult hominum salutem, absque ulla circumstantiarum consideratione; Eam consequentem, qua vult aliquorum salutem, spectatis circumstantiis. Janfenius lib. 9. & 10. de Gratia Christi Salvatoris, contendit in Deo esse Voluntas antecedentem spectatis hominibus ante lapsum naturæ humanæ; consequentem vero spectatis hominibus post humanæ naturæ lapsum.

Hunc errorem Janfenii non est cur hic elidamus. Nam satis in antecessum, dum de suis Propositionibus verba fecimus, fuisse copioseque resellimus. Ad alteram ergo propositæ questionis partem accedamus, in qua num Voluntas antecedens vere, proprie, & formaliter, ut Schola loquitur, in Deo sit, exponemus.

Miratus sum quam multi Theologi, nonnisi metaphoricam in Deo Voluntas esse propugnaverint. Si sic est; Deus ergo nos omnes eludit, dum Sacris in Litteris declaravit, se habere Voluntas salvandi omnes homines. Quare ut sententiam hanc, quam absonam repuravi, rejiciamus, concludendum est nobis, in Deo dari propriam, veram, & non metaphoricam Voluntas; quod ut doceam, movet me maxime Angelici Doctoris auctoritas, qui quoties de hac Voluntas sermonem instituit, toties significat eam esse beneplaciti Voluntas, quam omnes ut veram, & propriam affirmant. Id innuit quest. 23. art. 2. de Veritate: Voluntas proprie dicitur de Deo, & hæc est Voluntas beneplaciti, que per antecedentem, & consequentem distinguitur. Si sic est, patet, Voluntas Dei antecedentem veram, & propriam esse, cum Voluntas beneplaciti ea sit, ex qua Deus vera complacentia movetur ad amandum. Innuit hoc etiam in cap. 2. epist. 1. D. Pauli ad Timotheum, ubi exponens dictum illud Apostoli: vult omnes homines salvos fieri; statim subiungit D. Thomas, Voluntas hanc esse beneplaciti.

Cum tamen multos quoque Thomistas mihi advenire contigerit, qui hanc de antecedente Dei Voluntas sententiam propugnant, & unum est, quod pro hujusce defensione ex D. Thomam desumunt 3. par. quest. 21. art. 4. in corpore;

ubi ait Voluntas illam antecedentem esse velleitatem; talis Voluntas magis est dicenda velleitas, quam absoluta Voluntas. Unde ajunt isti. Si ergo velleitas est, non est vera, propria, sed metaphorica Voluntas. Quibus repono ego. Voluntas beneplaciti velleitas quidem appellatur, non quod non sit vera & propria, sed quia est de objecto absolute necessario præcis circumstantiis.

Ejusdem plane furfuris est, quod ex opusculo D. Thomam desumunt de Præscientia & Prædestinatione cap. 6. ubi ait, Voluntas antecedentem Dei esse Voluntas signi. Quia opusculum hoc multis subdubium visum fuit, cum in editione Romana a S. Pio V. facta, hoc inter alia multa Angelici Doctoris opuscula, positum non fuerit. Nihilofecius non obest quominus Voluntas hæc antecedens vocetur Voluntas signi, non quia sit distincta a Voluntas beneplaciti, sed quia Deus externis signis aliquando manifestat Voluntas, quam habet, salvandi omnes homines.

Quibus itaque positis, ad rationem Theologicam accedamus, videamusque; num sit hæc vera & propria Voluntas. Deus Sacris in Litteris significat sepe in locis, se velle conversionem peccatorum; quinimo ubique Deus vocat peccatores ad penitentiam. Jam dico ego. Quicunque vere vult medium conducens ad finem, vult etiam finem, verè, ac proprie finem per medium obtinendum. Conversio porro est medium ad salutem obtinendam; ergo hoc ipso quod vere vult conversionem peccatorum, consequens est, vere & proprie velle hominum salutem. Et certe Deus desiderium, quod habet salvandi omnes homines, exprimit in Scripturis nomine suis ardentissimo; Unde & Patres sic illam interpretantes, quam pendens e Cruce iis verbis Sicut expressit, pro desiderio ardentissimo salvandi omnes homines interpretantur; Si Deus ergo ardentem salutem omnium hominum sitivit; quo pacto impropria & metaphorica voluntas ejus dicenda erit?

Inquient fortassis aliqui. Isaia 46. habetur: consilium meum stabit, omnis voluntas mea fiet. Voluntas porro salvandi omnes homines non semper impletur, nam multi, quorum salutis voluntatem habet Deus, damnantur: ergo non est vera, & propria voluntas.

Advertendum est nobis, voluntatem, quæ dicitur semper impleri, non esse voluntatem meræ complacentiæ, sed voluntatem, quæ adjunctum habet Decretum, unde eo in loco subiungit, & omne consilium meum stabit.

Nihil melioris est commatis altera quorundam oppositio dicentium. Si sic est. Saltem igitur Voluntas illa antecedens, quæ suum non sortitur effectum, imperfectionem involvit, nam quod non sortitur effectum, imperfectum est.

Jam inquit ego; voluntas quæ non sortitur effectum propter externum aliquod impedimentum, involvit quidem imperfectionem; secus vero si ita velit consideratis suæ Providentiæ decretis; licet ergo Deus velit omnes homines salvos, spectando eorundem omnium salutem absolute secundum sese, consideratis tamen suæ Providentiæ decretis finit aliquos a fine decedere; proindeque si ea voluntas non impletur, non impletur defectu sui, sed quia ipsemet non vult; ex quo argumentatur hoc pacto. Deus ergo hac sua voluntate nos omnes eludit; nam quid prodest homini, velle Deum voluntate antecedente eum salvum facere, & postea velit ipsum voluntate sua consequente damnare; dico tamen ego, habere Deum ex voluntate sua antecedente præparatos esse.

effectus, nempe præparatas Gratiis sufficientes, per hoc nequit dici frustra. Sed ad quid valet? Valet: quia Providentia generalis postulat, ut castigetur iniquitas, ut quis damnetur pro peccatis suis.

Nihil fecius urgent aliqui comparisonem afferentes: Voluntas Dei antecedens est sicut Mercatoris voluntas, quam habet salvandi Mercem, dum in Mare projicere coactus est; Si enim Mercator ille posset obortam tempestatem sedare, & non obstante in undis Mercem suas projiceret, certe non censeretur habere sinceram salvandi Mercem voluntatem: porro ajunt isti; cum Deus habeat in potestate sua infinita Media ad salvandos homines; & hæc adhibere nolit; quo pacto sin-

cera, & propria voluntas ea dici debet, quam habet salvandi omnes homines?

At qui id obijciunt, non advertunt discrimen, quod intercedit inter Mercatorem & Deum. Mercator enim ex privata causa agit, & movetur ex bono privato ad projiciendas Mercem, & ideo si Mercator posset tempestatem obortam sedare, eas nihilominus in Mare projicere veller, censeretur non habere sinceram voluntatem salvandi Mercem. Deus vero ex causa generali operatur, & per consequens licet habeat infinita Media salvandi omnes homines, & hæc tamen adhibere nolit, non est dicendum, non habere Deum sinceram, veram, propriam voluntatem salvandi homines.

